

rat, nobis obversatur *idea durationis*, quæ, quando principio & fine caret, dicitur *æternitas infinita*.

§. 2. Ubi Cartesiani distinguunt durationem in *permanentem & successivam*. Hanc vocant, *que habet partes sibi invicem succedentes*, attribuuntque *creaturis*, siquidem non solum in *materia* partium successio reperitur, sed etiam in *mente nostra* satis clare deprehendatur cogitationum successio, dum priores cogitationes non manent, sed evanescent, posterioribus succedentibus. *Illam* dicunt, *que absque ulla successione est*, attribuuntque *DEO*, quandoquidem existentiæ divinæ partes nullæ sint, quæ sibi invicem succedant, sed potius ita connexæ, ut nullo modo possint a se divelli. Proinde nulla *immutatio* erit in perfectionibus Dei, ex quibus nullam *amittit*, vel *acquirit*. Neque Deus erit *senior*, neque *major* erit duratio post 100000 annorum, si enim infinito addatur finitum, prius non fit majus infinitum quam antea.

§. 3. Æternitas Dei fluit immediate ex ejus *sufficiencia*. etenim si esset unum temporis momentum, in quo purum nil fuisset, ut aliquid postea existere inciperet, impossibile esset, dum a nihilo nil fieri queat: Ergo Deus nullum initium habet, quo ipso simul illum nullum finem habere affirmatur, neque enim se ipsam in nihilum rediget natura, quæ ab æterno fuit.

CAP. IV.

DE IMMENSITATE ET INFINITATE DEI.

§. 1.

*Immensitas est, qua Deus essentie limites nullos ha-*